

5. C. B. D.
DISSERTATIO POLITICA

De

M A I E S T A T E
Ejusq; J U R I B U S,

Instituta

Occasione Verborum C. Cornel: Taciti, quæ
leguntur Annalium I. cap. 2.

Quam

Sab Directione

M. ANDREÆ THURONII
Phys. & Log. Prof. ordin. nec non
h. r Academiæ Rectoris,

Recte judicantium Examini submittet,

SIMON Rosenbergh

Ad diem 28. Junij in Audit Maximo.



A B O Æ,

Impressa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.
Anno M. DC. LXII.

ILLUSTRISSIMO C E L S I S S I M O Q U E

HEROI AC DOMINO,

DN. PETRO Brahe/
COMITI IN VVISINGS-
BORG, LIB. BARONI IN CAJANA,
DOMINO IN RYDBOHOLM, LIND-
HOLM, BRAHELINNA ET BOGE-
SUND &c. &c. S.Æ R.Æ M.TIS REGNO-
RUMQUE SVECIÆ ET GOTHIÆ
DROTZETO, ET SUPREMO SE-
NATORI, JUDICI PROVINCIALI
WESMANNIÆ, MONTANORUM ET
DALECARLIÆ, REGIÆQUE A.
CADEMIÆ ABOENSIS
CANCELLARIO,

DOMINO MEO ET PATRONO MAGNO

S I ex merito Dignationis Tuæ, Heros inclute, me quid
S concipere posse existimem, & rerum imperitus, &
summè audax procarq; sum. Neq; enim id elucubrare
meæ exilitatis est, quod animæ tam Excelſæ placeat; neq;
Cels. dinem T. am curæ istæ assiduæ pro repub. & gravitas
senilis ac verè Heroica, ad hæc Academica & juvenilia
mea exercitamenta, demitti patientur. Anxiè proinde ma-
joremq; in modum verebar, ne, si meopte usus impetu
& consilio, Dissertationem banc Cels. dini T. & inscriptum
eam: id, aut ex verecundâ submissione, quam nostrum
quilibet Tuæ Summæ dignitati debet; aut expia veneratio-
ne, quâ Excelsum Nomen Tuum coli par est, aestimari
non possit. Evidem gratiam inire non nullam poterat
argumenti dignitas, sed à vulgo: Cels. do autem T. a, qua
tanto jam tempore partes vicarias Regis & Regnige-
rit, longè id accuratiū, ipso etiam experimento, novit,
quam ulla differentium scripta unquam docere queant;
nedum ut nomine isto, Dissertatione hæc mea quid sperare
audeat. Sed tamen est, quod me ad audendum instigare
possit. Nempe quòd, quo alio pacto honestiore, studium
erga Illust. s. m Cels. dinem T. am pertendam meum, non
babeam; piuñq; testimonium existare optem, tot Cels.
dini T. a in Parentem meum beneficiorum, & ingentium
meritorum de nobis omnibus, qui è Rosenbergianâ do-
mo sumus. Accedit illa inusitata facilitas, Celsdini T. a
propria

propria (quam cœlo æmulam omnis posteritas loque-
tur) quia nullius unquam studium devotius, et si tenuio-
ris aspernatus es, ut non in mitius aeciperes, si quid
calore pietatis à decole deflexum esset. Igitur has pa-
nitèr pagellas meas Illustriss.ma Cels.do T.a ut clementè
dignetur favore, unicè atq; humiliè oror

Cels.dinis T.a Illustrissæ

Cultor dlevoitissimus

SIMON Rosenbergh.

5/ DISSE R T A T I O P O L I T I C A
DE
M A I E S T A T E E I U S q;
J U R I B U S.

C. Cornelius Tacitus l. Annal. Cap: II.

Augustus insurgere paulatim,
munia senatus, Magistra-
tuum, Legum, in se trahere,
nullo adversante.



I.

In namq; nervi principatus Augusti e-
rant, & Majestatis pignora; quæ dum
apud populum refederunt, ad eum ultima fie-
bat provocatio, ceu juris omnis moderatorem;
at ubi pacis interfuit, omnem potestatem ad
unum conferri, qui cuncta discordiis civilibus
fessa, nomine principis sub imperium accipe-
ret; versus civitatis status est, omnesq; exutâ
æqualitate, assuetati jussa principis aspectare:
prout hinc inde Tacitus noster hæcce minimè
tacet. Quo nomine Justinianus insit: de jure
Nat. Gent. & Civil. §. 6. Legis Regiæ (quæ in Justi-
nianæ

A

nianæ codice *Lex Imperij dicitur*) meminir, quâ de Principis latâ imperio, *Populus ei & in eum omne imperium suum & potestatem concessit*; hâc usus formulâ, ad ostendendum enixam suam voluntatem, omne imperium in universum transferendi. Confer quæ annotarunt bic Interpp.

II. Etsi verò in præsens non sedet, in his ab Augusto acta, aut excusare, aut refellere, cum id operæ Pragmatici, ut quisq; ingenio & eruditione excelluerat, hactenus sibi fideliter sumserint; quia tamen magno scriptori & viro supra omnem humanæ prudentiae aleam posito (quemadmodum hunc Historicum laudibus meritis dignantur, Lipsius præf. ad eundem, & Baudius Epist. ad Gruter.) dum ista attingit Augusti, *Jura Summae potestatis*, quæ Majestatis appellari solent, haud obscure signata potius; quam enarrata sunt; cui interim brevitas sua fraudi esse non debet: hinc ad illa Jura cogitatio nobis sic distingenda erit, ut *Primò de Majestate universæ; Mox de Juribus eius Ecclesiasticis; ultimò de politicis* prò ætate & captu nostro referatur. Et quanquam hanc differendi materiam viribus meis haud satis æquam scio: tamen quia in difficultioribus, conatus laude sua fraudari non solet:

folet: suscepti mē, non credo, p̄cōnītebit ne-
gotii, dum favente divinā benignitate, & sal-
vis auspiciis res decurrat.

I. Quæ sit Majestas.

I. Arduum munus esse, & omnium maxi-
mum cuncta regendi onus, experiendo didic-
cere vel maximè ij, qui in partem curarum, ab
Imperatoribus vocati sunt. Quod & Tiberi-
us fateri non erubuit, dum orante, ut curam
Imperii susciperet, Senatu (an ex fide, incer-
tum) se tantæ moli imparem respondit, plu-
resq; facilius munia Reip. sociatis laboribus
exsecuturos, tot fortunæ varietatibus subjecta.
Tacit. i. Annal: Cap. XI. Quippe hoc summum
in Repub. Imperium, quod vulgò & propriè
Majestas vocatum est, omnibus aliis imperiis
& potestatibus, dignitatibus & honoribus, jus
& fastigium quoddam superius est, quo post
Deum immortalem, nihil in statu Reip. habe-
ri aut excogitari majus & excelsius possit, Bodin.
i. de Rep. C. 8. competens solum ijs, qui su-
periorem, nec intra, nec extra territorium a-
gnoscunt. Ceteroruui, ut Vasallorum, Gu-
bernatorum, &c. potestas utcunq; magna,
amplitudinem nominis hujus æquare haud
potest; ita quidem, ut nec Reges Romani vi-

vente Cæsare electi, nec Duces Veneti, nec
quicunq; administrationem tantum & dignita-
tem, non jus ipsum aut potestatem habent.
Majestatis nomen usurpare queant. Besold.
Synop. Pol. Lib. i. C. i. Etenim *Majestati* nomen,
vel à *Majus*; q. Majestas dicatur, sicuti à Tem-
pus tempestas, Seyboth. Pol. Lib. i. C. 9. vel
etiam à præminentij & juribus derivatum est
quibus gaudet; ut à *Magnitudine* q. *Major status*
nominetur, Tholos. 8. de Rep. C. 3. Arnis. de
Jure Majest. Bornit. Tractat. de Majest. C. 3. si-
ve potestas, Amplitudo & Magnificentia, quâ
ipsâ, excepto Deo, nihil majus aut excelsius
excogitari potest. Nam quemadmodum Sol
splendore cuncta sidera; ita Majestas Reip.
membra cetera, dignitate, splendore, Auctori-
tate, nec non potestate superat atq; præstat.

II. Vox autem *Majestatis* bifariam usurpari
cœpit: aut enim *Realis* aut *Personalis* eâ deno-
tatur. Illa, finiente Tullio in de Orat. 2. *Ampli-
tudo est, ac dignitas civitatis*; quæ imperio sum-
mo perpetuo hæret coæva, quamdiu corpus
illius ipsum durat, sub interregnis etiam & gu-
bernatoribus mutatis persistens; alias dicta
Majestas Imperij, & Lex Fundamentalis. Hæc verò
personam imperantis respicit, in quam collata
est,

est, cum quā concidit, ex quā in alteram trans-
ferri potest. *Majestas* enim imperantis ab illā
imperii, tamquam à fundamento, distinguitur:
undē s̄epiuscule fit, ut huic ista, ceu superiori
ratione conservationis obstringatur, & curæ,
nè quid Resp. detrimenti capiat, & in fœderi-
bus, quandoq; Regni *Majestas*, non Regis ex-
primatur. Quare *Realis* illa Reip. constituens
dæ vis ac robur est, quam ideo nec summus
Princeps mutare potest: quemadmodum neq;
in Rep. Romanā, ex quo transiit illa in Mo-
narchiam, sublata fuit; ut ex jure Civili patet.
itaq; eam in se traxisse Augustum, haudqua-
quam existimandum est. *Personalis Majestas*
est, quæ in Augustum cessisse Tacito narratur:
Prorsus quam ad augendam populo, Valerius
Publicola summo studio annixus est, cum de-
pulsis regibus, *& fasces ei pro concione submisit,*
& fūs provocationis adversus consules dedit, Flor.
Lib. i. C. 9. bæcq; est summa *& legibus absoluta po-*
tetas, in personas atq; res suæ ditionis, quā universa-
liter ad salutem animæ *& corporis membrorum Reip.*
pertinent. Matthias Pol. L. 3. Exer. 2. sect. 2.
vel, *Est summa & perpetua, legibusq; soluta potetas,*
competens in res & personas suæ ditionis, vel inibi
existentes, pertinens ad administrationem & omnes

curas gubernationis, pro Reip. salute disponendi.
Bodin. i. de Rep. C. 8. Besold.. Synop. Pol. loco ubi suprà. Estq; ea quasi Reip. caput, soli & uni, vel etiam pluribus competens, penes quos in Rep. auctoritas summa, & autocratia residere censemur; ut inde Majestas illa etiam in Democratiâ inveniatur, cum Populus omnis persona quædam ficta sit. Dicitur præterea, *Fus Regni sive Majoris status*, cùm quod magnitudine suâ reliquas potestates omnes complectatur, tum quia illas splendore obfuscatur. Italis Signoria vocatur, Majoria Hispanis. Non igitur Majestas erit, aut in titulorum ornatu & splendore; aut secundum Tholos. 8. de Rep. C. 3. & KecKermannum, in latente quopiam, quod præter suam naturam quem reddat admirabilem & venerandum: nec ut Lips. 2. Pol. C. 16. intendit, in reverenda quadam amplitudine, & merito virtutis, aut rerum affinium.

III. Evidem Majestas est ubiq; in civitate *summa potestas*, Arist: 3. Pol. C. 7. quia non aliuni, nisi Deum & gladium, recognoscit; ideoque suæ quasi originis, non alterius beneficio, quam Dei solius, cuius in terris gerit vices, se acceptam fert. Dan. 2. 37. 2. Chron. 36. 23. Efdræ 1. 2, unde, quamvis olim populus Romanus Le-

aus *Lege Regi* à tribuerit Augusto, & imperatori-
bus, qui ab illo, omnem & summam potesta-
tem: ea tamen quā sui ortum à populo non de-
pendebat, sed potius in ipsum competebat: nec
populus principi potestatem dabat, sed admi-
nistrationem confirmabat. Hinc Cæsari impe-
riū à Majestate cœlesti traditum, eidemque
Deum coronam imposuisse, ICtis memoratur.
Imò, licet Imperatoribus Romano-Germani-
cis Electores Regnum conferant, nullam ta-
men potestatem electo Imperatori à se dant;
sed personam solum nominant, quæ illam à
Deo provenientem exercere potestatem debe-
at, & in quam eandem ipsi transferant, acce-
dente statuum consensu & ratihabitione. Ele-
ctores enim imperii, sicut cuiuscunq; Regni
ordines tali in negotio, nisi instrumenti ratio-
nen habent. Indèq; Imperatores & Re-
ges quicunq;, sive per Electionem sive suc-
cessionem, nominibus suis hæc verba anne-
ctunt, *Dei Gratia*; quæ Germani exprimunt,
von Gottes gnade/ Nostrates, medh Gudz nā
de: Eamq; inscriptionem Magnates Germaniæ,
nullo proprio Jure, sed solo permisu Cæsaris
usurpare possunt; nonnulliq; Galliarum Reges
crimen Majestatis agnoverunt, quod principes

Armo-

Armorici hâc tali præfatione usi sint. Bodin. i.
de Rep. C. ult. Nec tamen Majestas soli Re-
gno attribuenda est, ceu Tholosanus ineptit i.
de Rep. C. i. sed Reipub. cuicunq; perfectæ. Qua-
propter valdè hîc aberrârunt Duces Veneti:
Contradus nempe Badoarius, quod à Conrado
Imperatore Jus signandæ Monetæ: & Sebastia-
nus Cianus, dum à Barbarossa & Alexandro iii.
Pontifice diadema accepit: quasi Respub. hæc
& alia Jura Majestatis, ex auctoritate suâ usur-
pare non potuerit. Arnisæus de Juribus Ma-
jest. Hoc pacto Reges qui alterius imperio te-
nentur perfectam & illibatam potestatem
non habent, ut Rex Danorum tum temporis,
cum Friderico i. his verbis fidem daret, *Rex*
Danoruui Magnus, in potestatem se Imperatori tra-
didit, obsides dedit, Juramentum fecit, se succes-
soresque suos, non nisi Imperatoris & successo-
rum ejus permisso, regnum adepturos. Tritheim.
C. 17.

IV. Hinc patet, quia Majestatis summum
censemur in Rep. Jus, illam reliquarum ibidem
potestatum omnium, omnisq; imperii atq; Ju-
risdictionis fontem esse & scaturiginem. Solam
ipsam propriè *Imperium Merum, Magistratus*
verò ab illâ constitutos, *ejus tantummodo con-*
cessum

cessum *exercitium* habere. Ex eâ omnem oriri
Iurisdictionem Magistratum subalterno-
rum, per Delegationes, Commissiones, ordi-
nationes, Investitures &c. ad eandemq; per
Advocationes, Appellationes, Supplicationes,
Revisiones &c. redire. Nihilominus, quem-
admodum Cæsari cetera in mundo Regna,
Resq; Publicæ liberæ, quantumcunq; ei ce-
dant prærogativâ eminentiæ & sessionis, sub-
ditæ tamen non sunt; cum nihil Iuris Impe-
ratori suis in territoriis concedant (ut frustra
sit Harprecht. ad Inst. de pub. Iud. p. 3. n. 19.
seqq. qui contra solum Imperatorem Roma-
num committi Majestatis crimen contendit)
ita eorum dominium, quæ sunt in bonis sub-
ditorum, esse penes Majestatem id tantum vi-
detur, quod (non tam eorum proprietatem,
quam) administrationem rectam & curam
attinet, nè quis suâ re malè utatur. Confersis
Besoldum. Synop. Pol. Cap. cit. *E*sperorrò *Ma-
jestas perpetua potestas*, cum non possit esse sum-
ma, quin etiam perpetua exsistat! ideoq; cui
committitur ad tempus, non Rex, sed sum-
mus solùm dicendus est Magistratus, qui ta-
men, haud secus ac Dictator in Rep. Romanâ,
Majestate careat. Boenit. de Majest. C. 2. g. 11.

Bodin. i. de Rep. 8. unde iterum Majestate
prædicti haud sunt, qui, per mortem Impera-
toris aut Regis vacante Imperio, ejusdem ad-
ministrationem habent; sicut neq; illi, qui vel
principe absente, vel minorenni, vel mentis
haud compote, rebus præsunt, ut Proreges,
Ephoriq; Regnorum.

V Ceterū, quomodo *Majestas legibus so-*
luta sit, inter prudentes non adeo constat; in
primisq; meri Leguleji hâc in parte turpissimè
plerumq; errant. Id suprâ patuit, Majestatem
esse potestatem summam, seu quæ superiorem
non agnoscit, & propterea neq; leges, quæ
potentiaz superioris, scita sunt. Unde Ulpianus
ICtus Principem legibus solutum ait; & Justi-
nianus legibus quibusvis Imperatoris fortunam
excipi, ut cui ipsas Deus leges subiecerit. Servi-
us tamen Tullius Rex Romanus leges tulit, qui-
bus etiam Reges obtemperarent, Tac. 3. An-
nal. Et legati Scotorum, Regem legibus subiici-
disputant adud Buchanan. lib. 20. Divi etiam
Severus & Antoninus, sæpiissimè rescripse-
runt; licet legibus soluti essent, attamen legi-
bus se vivere. Inst. 5. fin. quib. Mod. Testam.
infirmit. Eiusdemq; mentis sunt in Iure ci-
vili alia permulta. Cuiacius lib. 15. observ. C.

30. caducariis tantum legibus exsolvit Majestatem. Arnisæus quoq; loc. sup. alleg. quanquam summam potestatem non liberat à Dei & Naturæ legibus, à vinculo tamen positivarum eam liberare audet; quasi nec a subditis, nec à se ipsâ leges possit accipere, sicut ab aliquo superiore non potest. Alij aliter distingunt docentq;. Causâ brevitatis, cui hic præcipuè velificabimur, hæc saltem annotari conveniet.

Initio, Non esse Majestatem solutam ll. *Divinis*; cum Decalogi tabulæ utriusq; custos esse debeat, Deut. 4. 6. Iosu. 1. 7. 8. Psal. 72. 1: 2: 3: *deinde*, nec solutam *Naturæ* esse legibus, ut quæ immutabiles, tam Majestatem ipsam, quam subditos obstringunt. *Porro*, Nec liberari Majestas poterit à legibus, quæ *Fundamentales* dicuntur; siquidem in his, & fundamentum ipsius Imperii est, & in easdem cum inaugura-
tur, Princeps Iurare cogitur. *ad his Iur. Sved.* *Prov. tit. de Rege C. 4. Demum*, legibus *civilibus* ceteris ita Majestas soluta censetur, ut quidem cogi non possit, h. e. quâ vim, ut aiunt, coacti-
vâ; eas tamen ut regulam agnoscere tenetur, & quâ vim, ut dicitur, Directivam. Quin hæc directio summæ potestatis per ll. civiles positi-
vas, quâ vim ejus ordinariam tantum obtinet;

dum & commune civium omnium jus obser-
vare Majestas, ut cynosuram, debet, & pri-
vilegia singularia, tum domus suæ, tum fami-
iliarum nobiliorum, statuum, ordinum, &c.
adhibere in consilium, ubi aliquid edicit, rescri-
bit, constituit. Unde, quod Besoldus ait Sy-
nop. Pol. i. C. i. §. 34. *Solemnia juris* Majesta-
tem non obstringere; id de & in his accipien-
dum, quæ Remp. non attingunt, videtur: in
alijs & minoribus negotijs, solennitatis alicu-
ius defectus, à jure civili receptæ, actum jure
invalidum non efficit. Idem Besold. lib. i. de
Elect. & successi. diff. 2.

VI Verùm enimverò, cum quandoq; ca-
sus incident, ubi à Majestate præditis, si legi-
bus starent ordinarijs, perperam communi
egregio iretur consultum: hic non secundum
regulas, sed ut subita negotiorum se offerunt,
gubernari illud aptariq; decet. Eoq; nomine,
per *Extraordinariam potestatem*, quoties salus pu-
blica, utilitas, necessitas, Iustitiæ ratio, aut si-
milis id causa postulat, leges negligere civiles
omnes, contra eisdem dispensare, quin etiam
Ius Naturale seu Gentium pro arbitrio pru-
denti limitare, determinare & secundum æqui-
tatem rectamq; rationem applicare, Majestas,
& cogi

& cogitur, & suo Jure potest. Arist. 3. Pol. 7.
Bodin. 1. de Rep. c. 10. Clapmar. lib. 1. c. 1. § 12.

Hæc potestas, quia ad Reip. salutem inventa
& concessa est, ad injuriosa & iniqua minimè
est extendenda; nec prò licentiâ impunè quid-
vis faciendi haberi debet; sed pro facilitiori felici-
oriq; reditu censeri, ad metas terminosq; Na-
turalis Gentiumq; Juris, & liberæ atq; rectæ rati-
onis, Jure positivo neglecto. Dicitur alijs nomini-
bus, Jus dominationis, Jus Regni, italis Ragi-
on di Stato, vulgo Ratio status: Atq; huc Ius
illud Regium Samuelis. 1. Sam. 8. referendum
est, vel, cum Besoldo de Majest. in genere C.
8. ad mores & pravas consuetudines Regum
vicinorum, nè Populus urgere Regis electio-
nem pergeret. namq; Majestas, sinè causa h.e.
Publico commodo non svadente, civibus res
suas eorumq; Dominium, aut etiam commo-
dum ex Jure civili descendens auferre, vel sub-
ditorum bona usurpare nequit; id quod vel
historia de vineâ Nabothi 1. Reg 21. præclarè
edocere potest.

II Quæ Jura Majestatis Ecclesiastica.

I Majestatis potestatem tam patere, quam
B 3 summi

summi Imperij cura & officium sese extendit,
hactenus evictum est: cum autem pro varieta-
terum, non uno sese exserant modo; ideo *Jura*
Majestatis, nihil quam *Excercitia erunt absolutæ* &
summæ potestatis, ratione rerum diversarum,
quæ in Reip. administratione occurrunt: quæ
vulgò Regalia ac Regia, item Jura Basilica,
aut Majestatica indigitantur. Besold. Synop.
Pol. lib. 1. c. 2. Arnis. de Jur. Majest. sect. 2.
c. 1. n. 2. Ea J.C:ti & Politici, non tantum No-
strares, sed etiam ex sectarijs non nulli, ita in
classest segregant, ut alia *Ecclesiastica*, *Potesta-*
tia appellent; quæ utraq; Majestati ambabus
manibus, & pleno consensu largiuntur. In re-
bus certè Divinis & religionis, Pontifici Roma-
no extra suum territorinm, jus esse nullum,
tam apnd omnes in confessio est, ut mnlti etiam
scriptores Pontificij, eos existiment, qui in cau-
sa Religionis constituendâ Pontificem superio-
rem agnoscunt, supremos Principes vocandos
non esse, referente Besoldo L. cit. Certè Au-
gustus, cuius factum nunc explicandum est,
non Publica duntaxat, nec sola Privata, sed
& *Jura Sacra* in se derivatum ibat. Adeo ut ve-
rè Velleius L. 2. C. 89. n. 4. reverso in italiam,
in urbem, Cæsare, bellisq; finitis civilibus, ab
eodem

codem priscam illam & antiquam Reip:formam
revocatam dicat; ejusdemq; duetu, rediisse cul-
tum agris, sacris honorem, securitatem hominibus, cer-
tam cu:q; rerum suarum possessionem. Etenim Numa
Pompilius Sacra & Ceremonias, omnemq; cultum
Deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augares,
Salios, ceteraq; sacerdotia, Jure summae potestatis
instituit, Flor. L. i. c. 2. omniaq; quæ ad divi-
num cultum spectabant (annotante ibidem
CL. Freinshemio) in octo partes distribuit.

Primi erant Curiones, pro curialibus rem divi-
nam facientes; Secundi Flamines, à gestatione
pilei flammei sic nominati. Tertio erant Tribuni
Celerum, Regum ad bellum euntium satellites
& custodes; quarto ordine Augures, avium & di-
vinitus emissa signa interpretaturi. Quintus or-
do habebat vestales virgines, sacri ignis custo-
des; Sexto sequebantur loco salij, qui saltatione &
chorèis laudabant Deos armorum præsides. Se-
ptima in classe Feciales locabantur, quorum e-
rat cura foederum & foederatorum. Ultimo &
Octavo numero Pontifices, à ponte ligneo seu
sublico reficiendo dicti, quibus competebat
cognitio, de ceremonijs, religione, sacris, &
examen sacerdotum. Quod autem Imperiumq;
& Jus antè Regum fuerat, id Populus Romanus,

ijs de-

ijs destitutus, ad vindicandum libertatis & pudici-
tiæ decus, in consules, libertatis suæ vindices,
transtulit idem Flor. ibid. c. 9. quod etiam Au-
gustus, ex tenore verborum Taciti, in se tra-
xit: ut dubitari nec possit, nec debeat, anti-
quitus quoq; *causas Religionis* ad *Jura Majestatis*
pertinuisse. Prætereo, quod Moses, Judices,
& Reges Israëlis, semper ad curam suam per-
tinere arbitrati sunt, Pontifices eligere aut ex-
auctorare, etsi ad unam Levi tribum sacer ille
ordo ad strictus erat. Videsis Exod. 28. 1. 1 Sam.
22. 11. seqq. 1. Reg. 2. 26. *Est* igitur *Majestas Ec-
clesiastica*, quæ circa Ecclesiam, resq; eò pertinentes
est occupata, Matthias 3. Pol. exerc. 2. sect. 7.
unde *Ius Majestatis Ecclesiasticum*, potestas erit dis-
ponendi, ordinandi, curandiq; media ad Religionem
veram, divinumq; cultum & æternam hominum sa-
lutem proficientia, politico corpori competens. Hœ-
non. disp. Pol. 3. th. 40. Nobiliss. Dn. D. Gyl-
lenstålpe dis. 5. de Jurib. Majest.

II Verum, quatenus ecclesiastica ad Politi-
cam gubernationem pertineant, ut Ortho-
doxis & nostratibus certa & expedita, ita Pon-
tificijs ac Reformatijs quibusdam anceps ac pe-
riculosa quæstio est: cum aliud Veneti Theolo-
gi, aliud Lojolitæ alij hâc de re tradant; aliud
vicissim

vicissim Reformati, aliud Anglicanæ Ecclesiæ. Multisq; haud raro in locis, aliud profitentur scriptis, aliud re & factis ostendunt. Besold. uti antè. Id proderit, vitandæ confusioneis causā, observare cum laudato Domino D. Gyllenstålpe d. l. *Jus* hoc *Ecclesiasticum* & *internum* & *externum* dici. *Illud Jus est clavium,*
ligandi & solvendi, inq; sacris & sacerdotibus
consistit, competitq; soli ordini ecclesiastico,
ut verbum Dei prædicetur, sacramenta admi-
nistrantur & Justa Ecclesiastica disciplina ex-
erceatur. Hoc vero est potestas, religionem
ritusq; & ceremonias, ex verbo Dei in Rem-
pub. introducendi, introductas dispensandi,
conservandi, amplificandi, defendendi. Atq;
internum illud in Majestate prædicti administra-
tione minimè situm videtur cum & peculiaris
sit ordo Ecclesiasticus, à Politico & œconomico
differens, nec directâ imperij vi Religionis
administratio ordinatioq; Principi competat,
cum ei potius Princeps subiiciatur, Luther:
Tom: 2. Controv. Lovan. quin alicubi eam
potestatem exercuisse principibus nec bene
cesserat, ut Sauli 1. Sam. 13. 13. ut Huzziæ 2.
Chron. 26. 19. etiam haud temere invenies, Re-
ges ipsos rem divinam fecisse aut curasle, ubi

C

certo

certo hominum generi sacrorum custodia commissa erat. Nam quod Augustus pontificatum Maximum, quam nunquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, auctore Sveton, in Aug. c. 31. id rationem singularem ex consuetudine Romanorum habet. Consule Tacit. 3. Annal. Orat. Servij Maluginens. Flamin. Dialis. Quod autem in codice & Novellis multæ leges occurrunt, directè Religionem attinentes, puta de Trinitate, de Hæreticis, de Manichæis, &c, eæ in concilijs deliberatae, ab Imperatoribus, ceu executoribus, fuere promulgatae, Besold. l. c. ut proinde non interiorem rei divinæ administracionem, sed de illâ mandatum, externamq; dispositionem, competere principi ostendant. Vanum igitur dogma est Anglicanum, cui auctor Henricus VIII Angliæ Rex; nempè Regem, aut quemcunq; magistratum superiorem, caput Ecclesiæ, quâ interiorem ejus curam esse. Vanum quoq; dogma Collegij Logitarum, Pontificem Romanum, quoad Jus illud idem, Monarchicum Ecclesiæ caput esse. Namq; primò, Ecclesiæ caput Mysticum Christus audit Eph. 1. 22. ibid. 4. 15. qui capit is respectus in pontificem quadrat ne tantillum quidem.

dem. Deinde, nec caput erit Pontifex Ecclesiae quâ disciplinam Ecclesiasticam interiorem, cum Episcopi Reip. cuiusq; Majestate gaudentis, ex ordinatione divinâ & mandato externo principis loci(non à Pontifice) absolutam administrationem sacrorum & disciplinæ moderationem habeant; Jura autem Majestatis rerum pub. Pontifex intervertere nequit. Si v. in provincijs Imperatori Rom. subjectis, id Jus sibi arrogare perget: necessum erit, & ceteros Episcopos non esse Episcopos, h. e. rei divinæ absolutam administrationem non habere cum à nutu pendeant Pontificis: & ipsum esse legibus Imperatoris subjectum , quandoquidem Religio externâ Cæsarlis curâ ac tutelâ gubernatur: quorum tamen prius receptæ in haud paucis Imperij partibus consuetudini, posterius propriæ Pontificis doctrinæ repugnat. Ex quibus obiter observare licet, Ecclesiam non Democraticè administrari posse, ut. Anabaptistæ & Puritani contendunt, cum omnino aliqua necessaria sit disciplina, aliquis metus superioris , aliqua coërtio ; nec etiam Monarchicè, durante omnium Episcoporum Jure pleno administrationis; sed Aristocraticè, ut scilicet, cum omnes Episcopi paris in suo districtu sint potestatis, comiter tamen se invi-

cem obseruent, unusq; præ altero ratione æta-
tis, virtutis, gravitatis, sedis, eminentiæ & sessio-
nis prærogativâ utatur, Meissner. dislert. de
Regim. Ecclesiast.

III. Quod Ecclesiasticum illud Externum Ius
attinet, id in summâ potestate, & ad Res & ad
Personas extenditur. Res sunt, aut *Fidei*, ut do-
ctrina Religionis, & ceremoniæ; aut *Ordinis*,
ut sunt Bona Ecclesiarum redditusq;. Matthias
3. Pol. Excerc: 6. De *Religione* id constat: esse
eam Reipub. fundamentum & columnam,
quâ ferè solâ universa viget hominum societas.
Hâc Alexander orientem, Romana gens or-
bem terrarum sibi subegit: eam si tollas, vita
hominum stultitiâ, scelere, immanitate imple-
bitur. Primo igitur Majestati, Reipub. capitî
& Domino, ut Religionis veræ & sincræ, quæ ex
solo Dei verbo, non ex Judicijs & suffragijs ho-
minum haurienda est, incumbit cura; ita ejus-
dem introducendæ & constituendæ Jus est. Quod
laudabili exemplo, vel è nostris usurparunt:
Olaus Skokonungh / qui fidem Christianam
per Sveciam constituebat; Sanctus Ericus, qui
eam in Finlandiam invexit; Gustavus Primus,
qui superstitionem abolevit Papisticam; Caro-
lus IX, qui Religionem veram ad lappones
propa-

propagavit. Alterum hic Majestatis *Jus est*, Religio-
nem veram Jam introductam defendere ac tueri:
unde, si quis vicinus intuitu Religionis bellum
moveat; eo in casu eam defendere ipsi licet,
exemplo Maccabæorum, & Gustavi Magni.
Etenim cum potestas summa sit custos utriusq;
Decalogi tabulæ, hinc vitia morum, etiam
contra priorem tabulam commissa; puta Blas-
phemiam, Magiam, sortilegia, maleficia, a-
theismum, & similia crimina prohibere puni-
req;, & suo Jure potest, & pro religione de-
bet. Besold. Synop. Pol. d. c. Huc pertinet *Jus*
Synodorum & conventuum generalium, etiam *Ex-*
traordinariorum & provincialium, in causa pe-
rictitantis Religionis indicendorum; in quibus
Principi curæ erit Episcopos Imperatoriâ po-
testate convocare, causam discutiendam man-
dare, Normam controversiæ dirimendæ scri-
pturam in medium ponere, tanquam unum ce-
terorum Judicare, Judicium promulgare, legi-
busq; ac pœnis sancire, hæreticos & peregrini-
nos Deos exturbare. Atq; hinc id amat intelli-
gi, Si quando nostratum aliqui scribant; in
Consilio Nationali seu synodo provinciali,
alijsq; similibus extraordinarijs conventibus
Ecclesiasticis, præsidere eum, qui eo loco cum

Majestate imperat; hoc ipsum ratione directionis & exsecutionis non cognitionis aut diu-
dicationis, accipiendum esse, contra quam id Bellarminus de concil. c. 19. & reliqui Pontificij interpretantur. Indetamen non colligen-
dum cum Besoldo Synop. L. 1. c. 2. §. 21. Pon-
tificem Rom: conciliorum præsidem, ijsdem-
q; superiorem esse. Nam & Pontifices in con-
cilijs, constantiensi & Basileensi, Judicati sunt,
quo pacto ijs ut inferiores, subjecti erant: sæ-
pissimeq; contingit, Pontificem hæreticum esse:
sed quî tum controversiam Religionis dijudi-
cabit? Judicabit ergo Episcopus, maximè in
Religione, & præter ceteros sincerus; Ecclesi-
asticæq; personæ inspicere debent, & exami-
nare, an doctrina sit sana, & vita auditorum
huic respondeat; an Sacra menta rectè admi-
nistrentur & disciplina Ecclesiastica vigeat.

IV. Verùm hic à Politicis quæri solet, *sitne Majestati licitum Religionem receptam reformare, aut omnimode mutare?* Sed res est facilis. Quod autem ad Religionem veram: illius reformandæ
aut planè mutandæ, Majestas nullam omnino
habet potestatem; ut pote cuius est, nihilo se-
cius ac homines alij, supernis legibus & divinis
subjectum esse: ideoq; constitutiones & leges il-
las

Ias non debet mutare, aut abrogare, sed hoc plus servare & custodire: unde est illud, toties in libb. *Reg.* & *Chronic.* de Jeroboamo repetitum, quod reformando sacra ad peccandum induxerit Israëlem; & increpatio Aharonis atque populi Israëlitici ob vitulum aureum, Exod. 32. Si verò falsa aut impura Religio in Repub. recepta sit, tum Majestati illam mutare, novamque & veram introducere licet, & ex impurâ, quantum in se est, puram facere; idq; exemplo Mosis, Exod. 32. Chischijæ 2. Reg. 18. 2. Chron. 29. seqq. Josiæ, 2. Reg. 22. seqq. 2. Chron. 34. Nehemiacap. 13. & Imperatorum, Constantini magni, Theodosij, Regumq; Svecicorum, qui superius memorabantur. Hic tamen Principi in conscientias imperium nullum est. Quare de hæreticis, et si aliter Judicant Pontificij aliter Calviniani, nostrates item aliter; id nihilominus, nostratisbus, tum Ictis, tum Theologis, Pontificijq; doctioribus, Becano Princip. Manual. Contzeno 2. Pol. c. 17. Besoldo, ubi antè, inter se convenit: alio cum pertinacibus & dolosis, alio cum zelotis, alio cum dubitantiibus agendum modo; nec interficiendos, nisi sint turbatores. Ceteris leviora interdum adhiberi remedia posse: cum Lex Mosaica Deut. 13.

& 17. ad controversias Religionis nostri temporis non pertineat, sed Idololatris præcipue sit posita; qui hodieq; ex ea meritò puniuntur. Confer Dn. D. Gyllenstålpe ubi superius. *Tertium* hic deniq; *Majestatis Ius est, Religionis amplificanda.* Hinc Festa indicere, cum Mose Levit. 23. cum Davide. Syrac. 47. Precumq; & supplicationum solennia, Gratiarumq;, ordinare ac promulgare potest. Quod utiq; apud nos usus & laudabilis consuetudo confirmat, de annuis illis ternis *Rogationum Ferijs*; eademq; & pace, & bello, frequentantur, nè ritus sacrorum inter adversa culti, per prospera oblitterentur. Tacit. II. Annal.

V. Porrò etsi Res sacræ in nullius sunt bonis, instit. de Rer. divis. 9.7. & in legib. passim: summæ tamen potestati bona soli Ecclesiastica subdita patet, non quidem quā possessionem & proprietatem, cum Ecclesijs concessa & donata sint; sed quā curam, dispensationem, defensionem, quatenus in Rep. existunt, & ad politicum ordinantur finem, Deiq; gloriam. Sicq; exemptiones, immunitatesq; clericorum & ad Ecclesiam spectantium bonorum, ut Jure positivo introductæ, ita ex privilegio, non mero Jure divino competunt, in eiusq; sunt potesta-

potestate, cui imperium est summum: indeq; clerici ac eorum bona, quibusdam in casibus tributis & collectis onerari solent. Ad hanc D. Gyllenst. Pol. disp. 8. de Ecclesiast. administ. Quod enim Besold. Synop. Pol. Lib. i. c. 2. §. 9. exemptiones Clericorum bonorumq; Ecclesiasticorum, etiam N. T. temporibus, Juris esse divini contendit; cum Ecclesia ejusq; personæ in, non verò de territorio sint; in eo multifariam hallucinatur. Nam, quæ ad honestam sustentationem clerici & domesticorum ejus faciunt, ea quidem Jure divino eis ab auditoribus, in novo etiam fœdere, deberi disputat Apostolus i. Corinth. 9. at, quæ prædia, immunitates, stipendia, antè Jurisdictionis secularis, indultu Majestatis quovis nomine sacro ordini postea conceduntur, ea Juris divini esse nequeunt; cum, pro ratione temporum, augeri possint & minui. Imò, Besoldus ipse, Bonorum secularium, quæ non libera ad Ecclesiam pervenerant, salvam manere Jurisdictionem Magistratui seculari, consentit: invitoq; Magistratu, Bona secularia ad Ecclesiam transire non posse, nec Ecclesiæ novas sine ejusdem consensu in fundo seculari ædificari, Veneti & Gallicani Theologi contra Pontificem tuentur.

D

Quod

Quod verò Ecclesia in, non de territorio dicitur; id de rebus ejus Spiritualibus, sc. Verbo, sacramentis, Fide, &c. intelligendum quivis advertit, qui Ecclesiæ curam externam esse magistratus novit; unde quoq; Principibus Jus (quicquid hic dicat Befoldus) Monasteria, & res Deo semel datas, cum ad Superstitiosum cultum destinantur, alijs magis pijs, magisq; necessarijs usibus attribuere; ceu apud nos Carolus IX. cœnobium Wadstenense, Monachorum & Monialium flagitijs infame, in Xenodochium militum bello mutilatorum convertit. Omnem insuper Religionis & Ecclesiasticæ potestatis abusum, in præjudicium legitimè institutæ Reip. vergentem, Majestas imperantis tollit. Quare & in Hispanijs Pontificij legati non admittuntur, nî caveant priùs, ne eorum dispensationes commissionesq; in dispendium tendant Reip. & Gustavus Primus, Episcoporum in Sveciâ potentiam, quâ sæpius, & Regi & Reip. graves erant, imminuit.

VI. Quà personas Ecclesiasticas, id omnino ad Majestatis curam spectat, Judicia constituere Ecclesiastica ordinaria, i. e. confistoria, quæ Episcopalem Juris dictionem habeant, &, quia internam Ecclesiæ curant disciplinam, non tam

Prin-

Principem; quām Presbyterium & Ecclesiam
referant; &, si contigerit, religiosos quosdam
Politicos consistorijs illis inseri, quod in Ger-
maniā est frequentissimum, & pridem Dorpa-
ti in Livoniā obtinuit, eadem nihilominus Ec-
clesiastica recte dicuntur & manent. D. **Gyl-**
lenstålpe / disp. cit. Frustra igitur est Besoldus,
cum Principes calumniatur à Pontificiā religi-
one aliēnos, quasi pro capite se Ecclesiæ gerant.
Præterea, etsi verbi vocare ministros totius est
Ecclesiæ, cum non Regis, non Episcopi, sed
Ecclesiæ ministri vocentur, D. **Gyllenst.** L.
alleg. hunc tamen ejus rei modum ReiKingius
de Regin. Ecclesiast. cl. 1. c. 6. ex Hunnio obser-
vat(cui constitutio Ecclesiastica Svecica cum
primis congruit) ut Presbyterium cum Eccle-
siæ Patronis de idoneā personā consulat, Popu-
lus approbet, Episcopus examinet & confir-
met; aut etiam Rex, si beneficium, ut dici-
tur, Regale sit. **Præsentandi** quidem Jus Eccle-
siæ Patronis competit, Jur. Sved. tit. de Eccles.
C. 5. Sed **confirmandi**, Episcopo vel Majestati.
Quod tamen Princeps non debet Pontifici, cum
Jure divino in ipsum derivatum sit, Esa. 49.
quemadmodum olim etiam Pontifices Roma-
ni, sine auctoritate & consensu Imperatoris,

eligi non potuere. Sic in Israele David Cantorum ordinem instituit, Levitasq; in urbibus singulis cis & ultra Jordanem disposuit. i. Chron. 25. 26. Salomon zadocum in Abiathari seditioni locum substituit, i. Reg. 2. 26. Nec etiam princeps, Ministros vocandi potestatem ex pacto aut concessu Ecclesie habet, ut non nulli sibi persuadent; sed ea tam ex Patronatus, quam ex ipso Jure Majestatis descendit, quo Ecclesiæ & Religionis custos est: ejusdemq; Juris ministrorum depositio & amotio censeri debet. Matthias lib. 3. Pol. Exerc. 6.

III. Jura Majestatis quæ Politica.

I. Hæc paucis hic quoq; enarranda sunt, cum ea præcipue, paulatim insurgendo ad munia senatus, Magistratum, Legum, in se traxisse nostro dicatur Augustus. Est autem seculare seu Politicum Majestatis Jus, potestas ordinandi disponendig media, quæ ad salutem corporis politici primò accommodata sunt; qualia sunt, leges civiles, Pax, Bellum, linguae Dialectus, Commercia, Moneta, Publica Munia, Privilegia, defensio atque protectio, &c. Nobilis. Dn. D. Gyllenst. disp. Pol. de Juribus Majest. Isthaec Jura

Jura variè distinguntur & assignantur. Alij ex tribus Majestatis officijs ea fluere dicunt; ordinando, Judicando, vindicando: Alij, quædam in signum supremæ potestatis, quædam ratione præservatæ dignitatis, ajunt competere: nonnullisq; in Majora & Minora dividi conservabant. Nobis autem absq; solicitâ divisione, in præsens solum enumerabuntur. Ut summum & præcipuum, ita & *Primum Majestatis Politicum Jus est, leges universis & singulis, in imperio dare, condere, abrogare*, ita tamen ut sapientum consilia virorum, subditorumq; accedat consensus: quod equidem non diminuit Majestatem, sed in ejus magis gloriam redundat, multarum etiam, & Romanarum & Nostrarum legum amento. Sanè Jus constitutum dicere, decernere redderèq; aut etiam facto applicare & exsequi, Magistratum & Judicium est; in præsenti verò leges condere, solo dignum imperio existit, ut Imperator alicubi ait. atq; si cut in Imperio Romano, Leges non sinè consensu Electorum, Ephororum, ordinum; ita neq; apud nos, absq; senatorum, optimatum & Populi consensu introducendæ ac constituendæ, quantumvis Regio nomine promulgantur. Jur. Sved. prov. tit. de Rege c. 4. art. 7. Si

verò lex obscura indigeat interpretatione quæ excedat officium interpretis vel Judicantis; ex auctoritate illius eam solum fieri fas est, qui leges ferre potest. Hocq; intuitu, Imperator i Leges subjecisse Deum, ipsumq; legem animatam hominibus mississe dicitur, in Novellis Romanorum. Impp. Statuta quidem legesq; condunt, quibus Jurisdictionis competit territorialis, collegiaq; & universitates; sed pro modo suæ Jurisdictionis, nec de rebus alijs, quam quarum libera administratio ipsis concessa est. Quin, ut Leges Generales fert Majestas sic ejusdem est, *Jus singulare seu privilegia* dare, aiente ICto, quæ pariter, ut publicæ leges in imperantibus sunt postestate, qui ea, ratione eorum cessante, mutare vel adimere potest. Huc pertinet *jus Homagio seu juramento securitatis obstringendi cunctos imperio subjectos*, ad observantiam legum, & fidelitatem nullo excepto præstandam, Bornit. de Majest. c. 17. Jur. Prov. tit. de Rege c. 5. Item legum custodes & executores, Magistratus, cum superiores, tum inferiores, constituendi. Quantum est enim Jus in civitate esse, legem quæ & Jus à Majestate condi, nisi sint, qui illud exsequantur, dicant, decernant? sicuti autores juris civilis loquuntur.

II. Sum

II Summum deinde *jus Vitæ & Necis* Majestas habet; quo nomine Moses, Princeps mansuetissimus, millia tria & triginta uno die occidi Jussit, Exod. 32. 28. legum enim fendarum & mutandarum potestatem absolutam, illa irrogandi mortem, noxæ eximendi, criminisq; admissi gratiam faciendi, immediate subsequitur facultas: solamq; decet summam potestatem, acrimoniam inflectere severi Juris, Bodin. i. de Rep. c. 10. nisi id repugnet sancti onibus divinis & legi naturæ, quibus Princeps obrogare nequit, cum Jura, naturalia civilis ratio corrumpere non possit, ex veteri illo IC torum. Hinc Princeps etiam solus Asyla aperit, salvum conductum concedit, ut qui eo instru etum violaverit, in crimen Majestatis incidat, Jur. Prov. de Rege c. 31 unde etiam Extremæ ad Principem provocationis Jus nascitur; & hinc, notas maculosas vitiosæ abstergendæ opinionis potestas, restituendæq; famæ, item, tam naturales, quam spurious per rescriptum legitimandi, veniam concedendi ætatis, inter missarum solennitatum Juris; Restitutionem singularem contra rem Judicatam, contra ap pellationem desertam, &c. concedendi; ut IC ti & Politici hic magno consensu docent, ex legibus

gibusq; & consuetudine inveteratâ ostendunt.
Etenim universè, sola contra leges dispensat
Majestas h. e. à vi legum & Judiciorum liberat,
Jusq; necessitate pensatâ, probè relaxat. Vasq.
Illust. c. 25. Est namq; *dispensare* leges mutare
seu negligere, certo id monente casu: vocatur
que in ll. bus Romanis sine exemplo subvenire.
proptereaq; Magistratus alij secundum leges
scriptas coguntur Judicare, vel consuetudinem
loci; in casibus autem, ubi dispensandi ratio ad-
est, deferunt id Majestati. Besold. de Jure Ma-
jest. c. cit. Sic eadem ab alijs Judicibus avocare
causas potest, & Syndicatus judicium institue-
re, aliorumq; omnium judicia, examinare; idem
de Appel. c. 2. eadem causas, in quibus alias solen-
nitèr procedendum esset, summatim examina-
re; imò aliquando, in periculo sc. Reip. & scelere
graviori, ab executione potest incipere. Summè
etiam potestatis est, de *Crimine Majestatis* cog-
noscere, controversias inter se, Ducatum, Co-
mitatum, &c. decidere, in propriâ causa judica-
re; quod tamen jus quia nimis odiosum exsistit,
ideo plerumq; imperantes summis sese curijs
submittunt, idem ibidem. Quo tamen in nego-
tio, si in Imperatorem maledictum aut convitum
ingestum sit, ipse consuli debet, ut Icti censem.

III. Pro-

III. *Proxima sunt jura illa, quæ propter ne-*
cessitatem summam, maximamq; dignitatem
in Repub. soli Majestati reservata censemur.
Quâ ratione initio, Academiarum institutio,
Privilegiorumq; eò pertinentium concessio, à
summâ & solâ Majestate dependet. Hoc jus
nonnulli ad Ecclesiastica referunt. Verum,
quanquam sine Academijs ministerium verbi
incolume diu conservari nequit, ut inde ad Ec-
clesiæ constitutionem facere præcipue videri
queant; tamen & juventutis recta institutio
fundamentum est Reip. omnemq; Magistra-
tus diligentiam adhibere debet, ut Academæ
& scholæ instituantur, cura illarum fidelibus,
peritis ac gravibus viris commendetur; qui au-
ctoritate & mandato supremæ Majestatis ar-
mati current, nè quid Respub. literaria detri-
menti capiat. Dn. D. Gyllenstalpe disp. Pol. 9.
de Academ. Secus fiet, ut nec judices foro,
nec scribæ rationibus, actis, libellis consignan-
dis, suppeditent. Atq; hanc instituendi Aca-
demias potestatem, Pontifex Romanus, non
nisi pravâ usurpatione sibi adscripsit, referen-
te Baldo. Academia certè Bononiensis, studio-
forum mater, à Theodosio Imperatore inchoa-
ta, à Carolo Magno reparata, à Lothario Sa-

xonę amplificata, immunitatibusq; ac Privile-
gijs exornata est. Quid? quod Pragensis, Pa-
risiensis, Patavina, non nisi Imperatores Ca-
rolos, fundatores & confirmatores agnoscant:
ut Pontificis approbatio haudquaquam requi-
renda sit. . . Cluten, Syllog. rer. quot. thes. 21.
Postea, quemadmodum Majestas pēnas impo-
nit, ita quoq; distribuere prēmia & honores ad
eandem spectat. Huc pertinet jus, nobilitatem,
insignia & dignitates conferendi, feuda conce-
dendi, Equestrem inter nobiles dandi ordinem,
Doctores ac licentiatos (quos Bullatos vocant)
Laureatos Poētas, Tabelliones seu Notarios
&c. creandi, ac comites Palatinos designandi.
D. Gyllenstålpe Loc. alleg. Deniq; ex auctori-
tate Majestatis, *Cursores Publici*, quos vulgo po-
etas appellant, constituuntur, qui literas ad
varias gentes & nationes portent: de quorum
in patriā nostrā initio, utilitate, necessitate,
latè pertractat Dn. D. Loccenius de Antiq:
Sveog. lib. 2. c. 12. Eodem demum respectu
jus cuendae sive *mutande*, aut etiam *reprobanda*
monetæ, ejusq; valoris, materiæ, formæ, pon-
deris, determinandi potestas (ut tamen à jure
gentium nimium non recedatur) Majestati
competit; indèq; crimen habetur Majestatis,
fine.

sine auctoritate publicâ monetam condere,
etiam si ea justa, & ponderis æqui sit, justini-
nus. Huic juri monetali geminum est illud
Mensuræ, Ponderum & ulnarum; item Nun-
dinarum solennium, stapulæq; seu Emporij,
Urbium exstruendarum, earundeq; Privilegijs
instruendarum ac immunitatibus; deniq; jus
officinas constituendi, ubi arma fabricentur,
quod vulgo Armandie seu Armanniæ nuncupa-
tur.

IV. *Majestatis quoq; munus est, subditos con-
tra vim omnem defendere, quo Belli inferendi & pro-
pulsandi pertinet potestas, soli competens supe-
riori; cuius est publicam suscipere defensio-
nem, ne, si id privatâ fiat auctoritate, turbæ
orientur.* Majestatis igitur crimen committit,
quisquis sine summi Magistratus jussu & volun-
tate bellum in Imperio movet. Evidem usu
Armorum subditis est interdictum; & jure no-
stro, privatis nec arma gestare licet tit. de cu-
rijs c. 34. nec auctoritate propriâ contra hostes
semet defendere, nisi periculum in morâ sit.
hincq; Diffidationes Privatorum capitales re-
putantur. Arum. ad Aur. Bull. disc. 6. thes.
16. Ad hanc subditorum territorijq; defensio-
nem, Majestas omnes sibi subjectos, etiam

Vasallos jure cogit, & ad bellica officia adigit. Jur. Prov. tit. de Reg. c. 2. §. 2. hucq; jus muniendi, murosq; civitatum & oppidorum fortificandi, arcesq; & fortalitia ut appellant exstruendi, refertur; quod inferiorum arces & munitiones cunctæ Majestati patere debeant. Hinc *Repressalias* seu *Pignorationes*, quas, judice Befolando, nonnulli non adeo rectè clarigationes vocant, ceterum inter concives prohibitas, belli tamen tempore & aliàs contra exterros solum, & exercet & concedit Majestas; quippe cum eadem, quo bellum, æquitate nitantur, & in Repub. defensionis, subditis justæ & necessariæ jurisdictionis speciem præbeant. Verùm quia Bellum suscipit, & inimicos pronunciat Majestas, ideoq; etiam amicos eadem sola facit: eoq; nomine, Bellum pace finit, damna & injrias subditis illatas remittit, securitatem concedit, fœdera sancit, ad exterros legatos mittit. Rebellionis enim suspicionem parit, si is, qui superiore n habet, cum extero aliquo Principe de publicis causis agat, aut conventionem ineat. Et Principes Imperij, tum demum rite legatos mittunt, si id non in præjudicium legitimi Imperatoris tendat.

V.. Tandem, pecunia cum rerum gerendarum

darum nervus sit, in omni proinde Rep. certa
quædam *Fisci Regalia* erunt, ex quorum pro-
ventibus nervi illi necessarij procurentur: alias
Domanium seu patrimonium Reip. vocantur.
Hoc ordine, sunt *Primo, Tributa ordinaria*, in re-
cognitionem superioritatis, & dominij univer-
salis; item onera fructuum ex æquo & bono
collata, è possessionibus privati soli; *secundo*, est
jus viæ publicæ, portuum & Ripaticum, quo
Majestas ob securitatem & commoditatem iti-
nerum, vel pro transitu per pontem, aut pro ri-
parum transitu, quas sumptu publico repara-
re tenetur, vectigal, quod vulgo pedagium est,
injungit & exigit. Huc jus nova vectigalia con-
stituendi, vel constituta augendi, refertur; que
aut ex mercium trajectu, aut ijs rebus præstan-
tur, que invehuntur, vel evehuntur ceu Roma-
nis etiam legibus hæc constituta sunt. *Tertio*,
compendia pœnarum vel mulctarum his annu-
merantur, quando aut Majestas sola, aut una
cum alijs mulctæ jus habet; ut & confiscationes,
aliq; jurisdictionis sublimis fructus: puta, Bona,
que ut indignis auferuntur, damnatorum, pro-
scriptorum, crimen Majestatis committentium;
Bona vacantia, eorum sc. qui sine hærede de-
cedunt, prædia item inulta atq; deserta, res.

habitæ pro derelicto, animalia errantia, & bona, quorum Dominus ignoratur, thesaurus inventus, res naufragæ, vel aliæs inventæ, venæq; metallicæ; Bona fisco imperij vindicata, ut redditus pisationum fluminumq; publicorum, Metallifodinarum, salinarum, piciarum. *Quarto*, quia redditus ordinarij sive Fiscales publicis sumtibus plerumq; vix sufficiunt, inde necessitate exigente, Extraordinarias etiam indicere collationes, tributa exasperare; Capitationes, Accisas injungere, Maiestatis est; immunitatem quoq; & vacationem, sive omnibus, sive certis quibusdam concedere, quæ tamen ita moderanda sunt, ne inde aliorum onera augeantur. Besold. ibi ut superius. *Quinto*, ad Majestatem spectat jus venandi, Angariarum & Parangariarum, quæ propter belli necessitatem, aliudq; repentinum negotium, quâ equos, quâ rhedas, quâ naves indicuntur. Jus arces, castella, domosq; Regias inhabitandi, demum & comitia indicendi.

VI. Atq; hæc summa Imperij jura, ita Majestatis propriâ judicantur, ut individua sint, & communicari, sine status mutatione aut mixtrâ, nequeant: Besold. de Appell. c. 2. quare eadem, quæ antè erant populi, aut invadente, aut in se trahente, principali nomine, Augusto; haud

haud mirum est rem Romanam mutatam fuisse. Nihil autem impedit, concessione superioris, ab alijs ea exerceri, vel in feudum accipi, sine tamen Majestatis diminutione. Bornit. de Majest. c. 14. tunc enim non jure proprio, sed alterius beneficio possidentur, nec tum verè Majestatis jura dicenda sunt. Est & Regalium acquirendi modus *Præscriptio*, quæ pro tacitâ concessione habetur: & sanè non alijs, quam his artibus Augustus hic insurrexit, cum iurista obtinuerit, *nemine*, ut Tacitus ait, *adversante*. Verum, haud aliud tum *Præscriptio* jus tribuit, ac concessio expressa. Alias in inferiorem nunquam certè tali largitione plenè translatum, sed potius communicando cumulatum, ut imperium majus retentum putetur, quam concessum fuit, vel saltem recognitio reservata: nisi plena abdicatio, & immemorialis absolutæ libertatis usus probari queat. Sed hic dissertationis *hujus finis* esto.

DEO GLORIA.

Nobilis-

*Nobilissimo, Generosaq; indolis Juveni,
DN. SIMONI Rosenbergh/*

Hæreditario in Skogaholm & Edby &c. De
Majestate ejusq; juribus publicè dispu-
tanti, L. mq; applausi

Majestate nihil toto præclarus orbe est;
Eminet in cœlo, eminet illa solo.

Hanc igitur meritò, multum dilecte Rosenberg,
Legisti claram nunc tibi materiem;
In quâ de cathedrâ claro sub Præfide, clarum.
Exercere potes providus ingenium.

Perge ita, percharum studio exhilarare parentem;
Ecce simul patriæ grande columen eris.
Auguror & voveo! Cœptis benedicat ab alto
Sæcta Trias; studijs annuat atq; tuis!

Festinante calamo, sed sin-
cerâ mente

M I C H A E L Gyllenstålpe 16.
Regij Dicasterij in Magno Fen-
ningia Ducatu, Assessor.

D E O G L O R I A.

Nobilitatis honos Cui vulgo IN S I G N I A nomen,
Interdum alatus, pennisq; minacibus audax:
Nititur in sublime: reor; VIRTUTE superbit,
Cujus subsidio DECUS inviolabile partum.
Aut subitus fulvâ radians aspergine SCUTUM
Vix nisi conatu assiduo se tollere in altum
Est sibi sufficiens: levibus forte indiget alis.
Sic Tu Rosenbergh specimen Juvenilibus annis
Egregium meditatus, habes, laus unde resurgit:
VIRTUTEM SCUTO Similem, studijs velut alis:
Allequeris, patrijq; hæres Decoris, decus addis.
Hinc tibi MAIESTAS Cujus nunc jura recenses,
Atq; onera & curas Juvenili Indagine lustras.
Et faciet faciles, referetq; favore labores.

Hactenus familiariter & in studijs commilitione
nunc Industriam suam probanti & in ex-
teras nationes propediem iter paranti, sic
obiter L.Mq;. gratulabatur.

Ericus Langman.

Au tres- Noble Sieur,
Monsieur SIMON Rosenbergh/ heritier de
Stockholm & Säby &c. Disputant tres-doctement de la
Majesté & du Droict de la mesme; mon tres-hono-
ré Sieur; salut & prosperité!!
Il n' ya plus louable ou plus agreable chose au monde,
que les doctess discours de choses remarquables & uti-
les;

lesz dont on devient capable aux lauriers, hautes degrées
des grandes honneurs. C' est pourquoy Je ne sz au-
rois point assez priser vostre fort louable entreprise,
Mons: r Rosenberg; En esguard que vous n' estez seu-
lement d' un haut esprit & des fort belles qualités; mais
aussi tenez vous toufiors le pre mier rang-és toutes
les exercices qui exornent & couronnent un jeune gen-
til-homme. Et voicy unte tres - excellente espreuve
dans cette présente dispute, laquelle vous faites venir en
lumiere & defendez bien vigoureusement. Poursui-
vez ce train! Et vous serez non seulement un ferme
appuy de nostre tres - noble famille; mais aussi un grand
ornement de nostres tres - chere patrie. Ce que Je vous
aussi soujbaitte de tout mon Cœur; avec tout heur & fe-
licité! Demeurant toute ma vie,

Mon Sieur
Vostre tres - humble

& plus obligé Serviteur,

H E N R I C U S Landzensfalle

